

Pr. 54. num. 16.

7.
Q. D. B. V.
DISSERTATIO IURIS CIVILIS

DÉ
EO, QVOD MVTATVM NOVELLA CXV. c. III. ET IV.
CIRCA

EXHEREDATIONEM
PARENTVM PARITER
AC LIBRORVM

R. 266
Wie Eltern ihre Kinder einander entzweit kön-
nen, und wie weit es gültig sey/ oder nicht?

QVAM
PRAESSES
IOANNES GODOFREDVS
HARTVNGI VS

PHIL. ET J. V. D. ET PROF. PVBL.
EXTRAORD.

PUBLICAE DISCEPTATIONI
SUBMITTIT
IN AUDITORIO JCTORVM
AD D. SEPTEMBR.
M DCC XVII.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA CHRIST. SCHROEDERI
ACAD. TYPogr.







Nter alias difficultates, quibus iuris-
prudentia premitur, non minima
est legum mutatio, qua latis nouis
legibus, ueteres uel ex toto, uel ex
parte, uel aliis uel nullis capitibus
substitutis, tolluntur, ut inde non
pauciores quam quatuor species
mutationum enatae sint, quae pro-

Thema Dil-
fert. ex Nov.
II. c. 3. & 4.

priis uocabulis abrogationis, derogationis, subrogationis,
obrogationis designantur, quarum de differentiis iam
alibi dixi. Nam cum quaestio facti sit, quid quantum-
que legislator ueteribus de legibus tollere, quantumque
relinquere in suo uigore uoluerit, usu uero saepenumero
eueniat, ut suam uoluntatem legumlatores non satis de-
clarent, inde dubitationes, ex iis lites et concertationes
oriri solent, quid quantumque ex ueteribus legibus per
nouas mutatum sit. Quam rem uti omni die experiu-
etur, qui aut in perscrutanda tradenda iurisprudentia,
aut in causis agendis, aut in utroque genere uersantur:
Sic nemo inficias ire potest, illa, quam dixi, difficultate
vel maxime Romanam quoque iurisprudentiam esse cir-
cumvolutam. Cuius rei argumentum perspicuum ac
indubitatum praebet thema praeiens, de quo hanc dis-
sercationem conscribendam mihi sumsi. Nempe inter
alias nouellas Imperatoris Iustiniani constitutiones, qui-
bus ius uetus emendandum suscepit, eminet Nouella
CXV. capite in primis III. et IV. quibus non leuem iu-
ris ueteris mutationem contineri, facile quivis, qui ea
uel per transennam adspicerit, nec ueteris iuris penitus

igna-

A

ignarus fuerit, confitetur. At enim uero ubi accuratio animi lance omnia ac singula uerba Nouellae in capitibus adductis penitentur, ingens dubium exoritur, quantum de iure ueteri mutare animus Imperatori fuerit, quibusque adeo limitibus ius nouum sit circumscribendum.

Generalia de
seni d. Nov.
(i. ex senten-
via Hoppii et
aliorum,

S. II. Sane ex nostri aeu*ICtis* praestantioribus quorumque scripta omnium manibus teruntur, IOACH. HOPPIVS in Commentar. ad Institut. Tit. de exhereditatione per totum, et T. de inoff. testam. pr. dictam Nouellam nouumque ius tam late interpretatus est, ut omnem differentiam iure ueteri tam late ac studiose constitutam, inter suos uel emancipatos praeteritos uel exheredatos, inter patrem uel matrem praeterirent uel exheredantem, sublatam existimet, nouaque exhereditationis uel praeteritionis forma praescripta rem eo redactam esse, ut quoties in testamento liberi cuiuscunq; qualitatis, uel parentes sint praeteriti, uel non ex causa aliqua N. n. 6. 3. et 4. approbata, et in ipso testamento expressa, exheredati fuerint, uel legitimam portionem non titulo honorabili acceperint, toties testamentum sit ipso iure nullum, quod ad heredis tamen institutionem, non quod ad reliqua capita testamenti: quoties uero causa ab herede scripto probari non possit, uel fratres aut sorores praelata turpi persona praeteriti uel sine iusta causa exheredati sint, toties testamentum non sit ipso iure nullum, sed querela inofficiosa rescindendum. Quae sententia quamvis HOPPIV M primum auctorem non habeat, sed iam ab aliis, in primis CARPOZOVIO, STRVVIO, SCHILTERO asserta fuerit, tamen tanto periculosis uideri poterat, quod mox tyronibus iurisprudentiae, qui amare

DE EO, QVOD MVTATVM NOV.CXV. CAP.III et IV. §

amare commentationes Hoppias, nec sine causa, solent, innotesceret, eorumque animis, antequam dis-
sentientium rationes perciperent, insinuaretur, suaque
facilitate ita placret omnibus, ut ubi in contraria argu-
menta VINNII aliorumque inciderint, ea aut intelligentes non intelligant, aut nequidem cognoscere ac intel-
lige cupiant.

S. III. Enimuero VINNIVS in *Quæstionibus selectis* (2. Ex sen-
tentiis alia, quae magno iudicio, nec minori industria rentia Vinni
tractauit, *Quæstione XX. & XXL Libri II.* (a) longe alia, et aliorum.
quam quae communi sententia recepta esse viderentur,
demonstrare annis est, longeque angustioribus limi-
tibus ius nouum, quod adducta Nou. 115. c. 3. et 4. intro-
ductum, coarctauit. Negat enim ac pernegat, nouam
formam exhereditationis praescriptam, differentiamque
inter suos et emancipatos praeteritos uel exheredatos,
patremque inter ac matrem exhereditantem uel praeter-
cuntem sublatam, ac omne testamentum, in quo liberi
uel parentes non sint ex iusta causa, eaque in testamento
expressa, et d. Nou. approbata, exhereditati uel praec-
teriti, ipso iure nullum esse. Contra ea asserit, No-
uellam plane ad liberos suos praeteritos, atque adeo
ad testamentum, quod ipso iure nullum sit, non perti-
nere, uocabulaque exhereditationis et praeteritionis sepa-
ratim de diuersis subiectis, patris uel matris aut adscen-
dientium maternorum, accipienda esse, et in uniuersum
Nouellam nullum aliud effectum, quam rescissionis
testamentorum per querelam in officiis, tribuere. Qua-
rum rerum hunc effectum esse ait, ut testamentum, in
quo suis heres à patre praeteritus, etiam post illam

A 2

Nouel-

(a) Add. Comment. maior ad Institut. T. de inoff. sefam. pr. n. 1. - 5.



DISSERTATIO IURIS CIVILIS I.

Nouellam sit ipso iure nullum, ut matris praeteritio etiam post illam Nouellam sit loco exhereditationis, ut si a patre exhereditatio, vel a matre praeteritio non ex iusta causa, id est ex causa in dicta Nouella approbata, et in testamento expressa, facta sit, perinde ac si causae ueritas a scriptis heredibus non probetur, testamentum querela inofficiose rescindi possit, quod ad institutionem heredis, non quod ad reliqua eius capita. Neque uero solus VINNIVS est, qui ista dixit uel defendit, sed non ille solum ipse in quaestioneis allegatis plures consentientes, FVLGOSIVM, GOVEANVM, CVIACIVM, DVARENVM, FABRVM, GILKENIVM, FACHINEVM, GVDELINVM, PEREZIVM, (b) adduxit, uerum etiam ignotum non est, interpres iuris ab omni tempore ad illam Nouellam, de qua agimus, haesitasse, et quasi ad scopulos delatos alios alias euadendi uiam ele-
gisse.

Translatio ad tractatio-
nem.

§. IV. Quibus obiter ac ueluti ex longinquo perspectis cum satis appareat, nec facile argumentum esse, quod maximorum interpretum ingenia exercuerit, nec temere sub incudem rationis reuocari, cum non modo adhuc sub iudice lis sit, uerum etiam quaedam fortassis ab una vel altera parte afferri queant, quibus ueritas erui magis ac confirmari possit, animo constitui meo illud, quod excitata Nouella CXV. cap. III. et IV. mutatum, plenius ac genuinis ex fundamentis inuectigare,

(b) Ex quibus tamē non omnes in singulis, sed ali in aliis capitibus cum Vinnio consentiunt. Ex nostris in Tit. exactius cum Vinnio consentit MENCKENVS in Tab. ad Pand. T. de inoff. seq. p. 107. Tit. de lib. et possib. ber. inff. p. 395. seq. T. de iniuß. rupt. p. 396. seq. Tit. de bon. poss. contratab. p. 452. seq.

simulque id ex instituto dare operam, ut tota ac diffusa controuersia, quae multis ne quidem satis cognita, nemudum recte decisa uidetur, facili ac perspicua ratione tractetur, atque adeo pro uirili tentare, an una, quod aiunt, fidelia duo possint parietes dealbari, ut difficilis controuersia et tota penitusque cognoscatur, et recte solideque decidatur.

§. V. Quem scopum ut feliciter assēquamur, hoc Ordo tra-
ordine procedēmus, ut (1. textum ipsum Nouellae, ceu standi in ge-
fundamentum dissertationis afferamus, eumque in suas nere.
partes diuidamus: (2. de ordine disceptandi dispiciamus:
3. disceptationem ipsam instituamus.

§. VI. Quod primo loco ad Caput III. Nouellae Textus
CXV.attinet, illud commode in tres partes diuidi potest, Cap. 3.
quarum prima ipsam dispositionem circa liberorum praet- Nov. 115.
teritionem uel exheredationem continet, uerbis, quae in tres par-
secundum uersionem vulgatam ita se habent: Aliud tes diuitus,
quoque capitulum praesenti legi addendum esse perfexi- Pars. I.
mus. Sancimus igitur, non licere penitus patruel ma-
tri, suo uel auiae, proauo uel proauiae, siuum filium uel
filiam, uel caeteros liberos praeterire, aut exheredes in
suo facere testamento, nec si per quamlibet donationem,
uel legatum, uel fideicommissum, uel alium quemcunque
modum eis dederit legibus debitam portionem: nisi for-
san probabuntur ingratiti, et ipsas nominatim ingratitu-
dinis causas parentes suo inseruerint testamento. Hanc Pars. 2.
excipit altera pars, quae circa causas ingratiitudinis, seu
ob quas exhereditatio uel praeteritio iuste sit, disponit,
his uerbis: Sed quia causas, ex quibus ingratiti liberi de-
beant iudicari, in diversis legibus dispersas et non aper-
te declaratas inuenimus; quarum aliquae nec dignae
nobis

nobis ad ingratitudinem uisae sunt; aliquae uero, cum essent dignae, praetermissae sunt: ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim praefenti lege comprehendere: ut praeter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudini causas opponere, nisi quae in huius constitutio-
nis serie continentur. Causas autem iustas ingratitudo-
nis has esse decernimus. Si quis etc. etc. Denique
Tertia pars effectum utriusque partis prioris et dispo-
sitionis continet, uerbis ultimis: Sive igitur omnes me-
moratas ingratitudinis causas, sive certas ex his, sive
unamquilibet parentes in testamento suo inservierint,
et scripti heredes nominatam uel nominatas causas, uel
unam ex his ueram esse monstrauerint, testamentum su-
am habere firmitatem decernimus. Si autem haec ob-
servata non fuerint, nullum ex heredatis liberis praeiu-
dicum generari: sed quantum ad institutionem heret-
dum pertinet, testamento euacuato, ad parentum heret-
ditatem liberos tangquam ab intestato ex aequa parte
peruenire, ne liberi fassis accusationibus condemnentur,
uel aliquam circumscriptionem in parentum substantia
patiantur. Si uero contigerit in quibusdam talibus te-
stamentis quaedam legata uel fideicomissa aut liberta-
tes, aut tutorum dationes relinquendi, uel quaelibet aliis
capitula concessa legibus nominari: ea omnia iubemus
adimpleri et dari illis, quibus fuerint dcrelita, et tan-
quam in hoc non resciplsum obtineat testamenrum.

§. VII. Similiter caput IV, quo de parentum praec-
teritione aut exheredatione agitur, in tres partes com-
mode diuidi potest, quarum prima circa ipsam quoque
parentum praeteritionem uel exheredationem disponit,
his uerbis: Iustum autem perspeximus et e contrario de
libero-

Textus
Cap. 4. simi-
liter in tres
partes diui-
ditur.

Pars I.

DE EO, QVOD MVTATVM NOV. CXV. CAP. III. et IV.

liberorum testamentis haec eadem cum aliqua distinctione disponere. Sancimus itaque, non licere liberis parentes suis praeterire, aut quolibet modo a rebus propriis, in quibus habent testandi licentiam, eos omnino alienare: nisi causas, quas enumerauimus, in suis testamentis specialiter nominauerint. Altera pars similiter causam, ob quas parentes a liberis praeteriri uel exhere-
dari possunt, enarrationem continet, uerbis: *Has autem
esse decernimus.* Si parentes ad interitum uite liberas
suis tradiderunt, etc. etc. Tertia pars effectum com-
pleteatur, ut in capite praecedenti, uerbis ultimis: *Si
tales igitur causas, uel certas, aut unam ex his liberi
suis testamentis inscriperint, et scripti ab eisdem here-
des aut omnes, aut certas, aut unam ex his probauerint:
testamentum in sua firmitate manere praecipimus. Si au-
tem haec omnia non fuerint obscurata, nullam uim hu-
icmodi testamentum, quantum ad institutionem here-
dum babere sancimus: sed resciſſo testamento eis, qui ab
intestato ad hereditatem defuncti vocantur, res eius da-
ri disponimus: legatis uidelicet uel fideicommissis, et li-
bertatibus, et tutorum dationibus, seu aliis capitulis si-
c ut superius dictum est, suam obtinentibus firmita-
rem. Si quid autem pro legatis, sive fideicommissis et
libertatibus, et tutorum dationibus, aut quibus liber
aliis capitulis, in aliis legibus inuentum fuerit huic
constitutioni contrarium, hoc nullo modo uolumus obtine-
re. Et hae quidem ex heredationis aut praeteritionis poe-
nac, quantum ad ingratitudinis causas, contra praer-
dictas personas statuendae sunt: si quae autem ex his
inter crimina reputantur, eorum auctores etiam alias
(oewas sentiant legibus definitas.*

S. VIII.

De ordine
dilceptandi,
sic ut
(a. capita
non contro-
uersa fecer-
tantur.

§. VIII. Iam ut retro uestigia legamus, ultima
uerba capitinis IV. quae de aliis poenis quam exhereda-
tionis uel praeteritionis agunt, quamquam tam tale
patent, ut non solum ad exheredationem uel praeteri-
tionem parentum, uerum etiam ad liberorum pertineant,
atque adeo uim suam retro ad caput quoque III. exten-
dant, nec negari possit, ea ad effectum eorum, quae de
parentum pariter ac liberorum exheredatione uel praet-
eritione constituta sunt, suo modo pertinere: tamen
in praesenti parum de illis erimus solici. Nam cum
illis nihil noui insit, sed quaedam tantum dubij cuius-
dam remotio, quod legenti nouellam in propositis ca-
pitibus suboriri poterat, an sc. qui ob iustum causam
exheredatus uel praeteritus esset, etiam praeter exhe-
redationem uel praeteritionem, quae iam poenae loco
haberi poterat, poena deberet affici, quae legibus in illud
delictum, quod exheredationem uel praeteritionem me-
ruiisset, constituta esset? Tantum abest, ut cum dubii
istius remotio clara atque perspicua sit, aliquis de colli-
sione iuris ueteris cum nouo conquerendi, de limiti-
busque noui iuris, maxime cum I. ueteri nunquam aliud
obtinuerit, disputandi causam nanciscatur, ut potius illa
res per se pateat atque clara sit, atque inde etiam non
magnas lites inter Doctores excitauerit, quarum in pree-
fensiis ratio haberi debeat. Idem dicendum de verbis
circa finem d. cap. III. quibus Imperator declarat, si quid
pro legatis uel fideicommissis, libertatibus, tutorum
dationibus, aut quibuslibet aliis capitulis testamentorum,
in aliis legibus inuentum fuerit nouellae 115. cap. 3. et 4.
contrarium, id se uelle nullo modo obtinere. Nam
cum natura iuris noui sit, ut uetus, si ei contrarium sit,
tol-

DE EO QVOD MVTATVM NOV.CXV.CAP.III. ET IV. 9

tollat, non opus erat haecce addere, quae iam ex illis,
quae praecedentibus Imperator disposuerat, sua natura
sequebantur.

S. IX. Restat ergo, ut ad reliqua oculos animum-
que intendamus. Et cum quartum quidem caput con-
trouersae Nouellae ad similitudinem capituli tertii scri-
ptum sit, et quod prius de liberis constitutum, id postea
ad parentes suo modo applicatum, per se patet, primum
de capite tertio et liberis, deinde de capite quarto et pa-
rentibus agendum esse. Sed quid primum de liberis
agimus? illud, quod ante dixi. Videndum, quid circa
exheredationem uel praeteritionem eorum mutatum sit.
Quae res omnem statum controuersiae continet, sed
in folle, quod aiunt, et uerbis obscurioribus, quae ex-
plananda et declaranda sunt. Declarari autem non
melius possunt, quam si una quaestio in plures didu-
catur. Neque sufficere uidentur tot quaestiones, quot
partes capituli fecimus. Nam pars prima plures con-
trouersias continet, quarum singulæ singulas quaestio-
nes postulant. Loquitur enim de exheredatione, loqui-
tur de praeteritione, loquitur de patre, loquitur de matre,
aliisque adscendentibus maternis, et in uniuersum, si illa
pars prima, uti supra relata est, penitus inspicitur, conti-
net C. regulam, uerbis: Sancimus igitur, non licere penitus
patri uel matri, auo uel auiae, proauo uel proauiae,
suum filium uel filiam, uel caeteros liberos praeterire, aut
exheredes in suo facere testamento: (2. Ampliationem,
uerbis sequentibus: nec si per quamlibet donationem
uel legatum, uel fideicommissum, uel alium quemcunque
modum eis dederit legibus debitam portionem: (3. Li-
mitationem, uerbis ultimis: nisi forsan probabuntur
B ingra-

(2. Ratio
procedendi
in capitibus
controuersis
inuestige-
tut.

ingrati, et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento. An ergo circa primam partem tres quaestiones faciemus, ut queramus, quid in *regula*, quid in *ampliatione*, quid in *limitatione* mutatum sit? Enim uero ante omnia ius *Vetus* investigabimus, cum non solum sine eius cognitione ad iuris noui intelligentiam perueniri non possit, sed etiam illo cognito fieri possit, ut quo ordine in enodando interpretandoque iure novo procedendum nobis sit, clarius intelligamus. Et cum eam ad rem, quam aggressissimum, funditus exauriendam unius dissertationis limites nimis angusti fore uideantur, tractationem in plures dissertationes diuidemus, et hac quidem prima circa solum ius *Vetus* occupabimur. Atque hoc ius *vetus* cum duplicit generis sit, alterum in specie dictum, quod ante Iustinianum obtinuit, alterum recentius, quod à Iustiniano introductum, et respectu illius iuris, quod ante Iustinianum obtinuit, nonum, respectu eius, quod ab eodem Iustiniano nouissime per Nov. 115. introductum, *vetus* appellari potest et solet: Inde primum de *iure veteri* specialiter dicto, deinde de *iure medio* disscimus.

De iure veteri specialiter dicto.

§. X. Ius *vetus* specialiter dictam rursus vel *Civile* est in specie dictum, vel *Praetorium*. Utrumque circa exhereditationem vel praeteritionem liberorum plures inter liberos distinctiones, atque adeo regulam exhereditationis vel praeteritionis (e) plus quam unam continet.

(e) Differt exhereditatio à praeteritione non tam commemoratione personae aliquius, quam expressa ab hereditate exclusione, seu uerbo *exheredare*, seu simili facta. Nam et cum filius tanquam ingratus memoratur, et alius mox heres in-

Ius *vetus*
duplex :
vetus et
medium.

DE EO QVOD MVTATVM NOV.CXV.CAP.III. et IV. 11

Primum distinguit inter liberos suis et emancipatos
utrosque uel masculos uel feminas, uel primi uel ul-
terioris gradus. De liberis suis, iisque masculis et primi
gradus, regula est, eos a patre exheredari nominatim
(d) posse, praeteriri non posse, I. tam Ciuli, quam Prae-
torio. pr. i. §. 2. et 3. I. de exhered. lib. Effectus regulae
est, ut si filius suis nominatim exheredatus, testamen-
tum ualeat atque subsistat, sin est praeteritus aut inter
caeteros exheredatus, (e) testamentum sit ipso iure nul-
lum, utrumque I. tam Ciuli, quam Praetorio. (f) d. pr. I.
de exher. lib. i. l. 1. 17. l. 30. D. de iniust. rupt. irrit. l. 7.
l. 30. de lib. et posth. De feminis suis et primi gradus,
(g) uel aliis liberis suis ulterioris gradus, cuiuscunque

Regula 1.

B 2 sexus

intuitur, u. c. Quoniam filius meus Caius ingratus erga me
suis, Sempronium heredem insitum, praeterito non exhere-
datio est: et cum persona inter caeteros exheredatur, u. c.
filius meus Caius heres esto, reliqui exheredes sunt, exhere-
dio non praeterito est.

(d) Nominatim exhereditatio fit, quando persona exheredanda
nominatur, seu nomine proprio, u. c. Filius meus Caius exhe-
redes esto: seu appellativo, eoque uel nudo, u. c. filius meus
exheres esto, si testator non plus quam unum filium habet:
uel cum additamento discretivo, u. c. filius meus natu maior
exheres esto. pr. I. de exher. lib. i. l. 2. D. de lib. & posth.

(e) Nominatim factae exhereditationi opponitur exhereditatio, quae
in folle seu inter caeteros fit, formula, quam modo dixi:
Titius filius meus heres esto, reliqui exheredes sunt. qua
omnes reliqui, qui eo gradu inter liberos sunt, ut uel here-
des scribendi, uel exheredandi sint, comprehenduntur.

(f) Id est Praetor exhereditato contra ius ciuile non succurrat, cu-
ius benignum officium alias circa exheredatos uel praeteritos
liberos quoque maximopere conspicuum est.

(g) Id est filiabus suis.

Regula 2.



sexus (h) regula est, eos iure Ciuli praeteriri posse, I. Praetorio non posse, (i) sed ad minimum inter caeteros exheredandos esse. d. pr. i. §. 3. I. de exhib. lib. 1. 2. pr. §. 1. de bon. possi contr. tab. 1. f. pr. C. de lib. praet. uel exhib. §. 12. I. de her. quae ab intest. Effectus regulae est, ut I. Ciuli testamentum subsistat ualeatque, sed praeteriti ius accrescendi habeant, quo scriptis hereditibus pro certa portione (k) accrescant, numerumque heredum augent, I. Praetorio si praedicti liberi sui inter caeteros exhereditati non fuerint, Praetor ipsis contra tabulas testamenti bonorum possessionem largiatur (l) dd. u. VINN. ad d. pr. I. de exhib. lib. n. 2. 3. 4. De emancipatis liberis, (m) regula est, eos praeteriri iure Ciuli posse, iure
Prae-

Regula 3.

(h) Id est nepotibus neptibusue, uel pronepotibus pronepotibusue, et sic deinceps, ex filio, non ex filia, ex qua sui neptes neptesue etc. nasci non possunt, cum liberi ex ea natia familiam mariti perineant.

(i) Obserua, I. Ciuli omnes liberos, cuiuscunque sexus uel gradus, praeteriri posse, praeter filium suum : I. Praetorio neminem, qui est in numero liberorum, cuiuscunque sexus uel gradus, praeteriri posse, modo si posthumus sit, tempore mortis testatoris in utero sit. Nam cum illi qui non fuit in utero, querala inofficioi tributar in l. 6. de inoff. test., ea uero non competit, si aliud remedium iuris, et in primis bonorum possessio contra tabulas, suppetat, inde colligitur, talem posthumum, qui in utero non fuit, praeteriri Letiam Praetorio posse.

(k) Puta suis heredibus in partem uirilem, extraneis in partem dimidiam. VLPIAN. t. 22. §. 17. CALVS l. 2. t. 3. §. 2. Add. VINNIVS ad pr. I. de exhib. lib. n. 3.

(l) Diff. BACHOVIVS ad pr. I. de exhib. lib. inf. sed contra claros textus.

(m) Emancipati opponuntur suis, licet tertii generis liberi dentur, qui sunt in potestate, sed non sui, quia non proximo

Praetorio non posse, sed filios nominatim, filias caeteraque per virilem sexum descendentes personas utriusque sexus, ad minimum inter caeteros exhibere dandos esse. §. 3.
i. pr. l. de exhb. lib. I. 6. §. 1. de bon. poss. Effectus regulae est, ut si filius nominatim, filiae caeteraeque per virilem sexum descendentes personae utriusque sexus, vel nominatim, vel inter caeteros exheredatae non fuerint, Praetor ipsis bonorum possessionem contra tabulas concedat. *dd. II. i. l. 4. D. de bon. poss. contr. tab.* Hoc amplius distinguuntur inter liberos natos et posthumos, seu inter liberos ante testamentum factum et post illud existentes, qui posteriores posthumi appellantur, et sunt vel naturaliter tales, qui post testamentum, et maxime post mortem patris, nascuntur, vel ciuiliter, qui vel per adoptionem liberi fiunt, vel natura liberi sunt, sed post testamentum sui heredes quasi agnascuntur, succedendo in locum eorum, qui tempore testamenti conditi sui heredes fuerunt. §. 2. 4. I. de exhb. lib. i. §. 2. I. de hered. quae ab intest. l. 13. D. de iniust. rupt. irrit. Ad liberos

B 3

natos

gradu in potestate sunt, sed alios proximiiori gradu praese habent, u. c. nepotes, quorum pater simul in potestate aui est. Sed horum nulla in praefens ratio habetur, quia successio ad proximum gradum devolvitur, nec liberis legitima debetur, nisi qui proximo gradu, seu natura, seu iure representationis constituti sunt. Vnde hic in uniuersum supponendum, si de liberis secundi vel ulterioris, aut cuiuscunque gradus dicatur, eos praeteriri non posse, exhereditati nominatim vel inter caeteros posse, semper proximum gradum subintelligi, id est, ut liberi, de quibus sermo, nullum aliun prae se habeant, qui testatorem proximiiori gradu contingat, (nec hereditatem vel bonorum possessionem ad se delatam respuat) licet ipsi non primo, sed secundo, vel tertio aut ulteriori gradu constituti sint.

Reg. 4.

natos seu ante testamentum existentes praedictae regulae pertinent. De posthumis tam naturaliter, quam ciuiliter talibus, speciatimque de posthumis suis, primi gradus et masculis, regula est, eos exheredari nominatim posse, inter caeteros exheredari uel practeriri non posse. J. tam Civili quam Praetorio. S. i. 2. J. de exher. lib. i. 29. §. 12. 13. D. de lib. et posth. lib. i. 12. de iniust. rupt. iuris. Effectus regulae est, ut si posthumus suus masculus et primi gradus, hoc est filius suus posthumus, practeritus, uel nominatim exheredatus fuerit, agnascendo uel quasi rumpat testamentum, totumque infirmet. dd. ll. (n) De posthumis suis primi gradus feminis regula est: eas practeriri non posse, exheredari inter caeteros posse, modo ipsis aliquid legetur, ne per obliuionem (o) praetoritiae esse videantur, idque non demum Praetorio, sed ipso Cuncti iure. S. i. J. de exh. lib. VLPIAN. fragm. t. 22. §. 21. Effectus regulae est, ut si femina postuma sua et primi gradus, hoc est filia sua postuma praeferita, uel non inter caeteros relicto legato exheredata fuerit, agnascendo uel quasi ut masculus posthumus suus, rumpat testamentum, illudque penitus infirmet (p) d. S. i. et 2. J.

(n) Oblerua differentiam inter natum filium et posthumum praeferitum uel non rite exheredatum. Ille testamentum reddit ipso iure nullum, seu ab initio ualeat impedit; hic rumpit testamentum, quod ab initio ualeat. Ratio differentiae est, quia incertum est, an posthumus nascitur sit.

(o) Quae obliuio in liberis natis cessat, quoniam hi obuersantur oculis, uel etiam absentes non ita facile memoria excidunt, at quae in utero matris est, saepe etiam, quod sit, ignoratur.

(p) Non ius accrescendi tantum habeat, uel B. P. contra tab.

de exhb.lib. De posthumis suis ulterioris gradus regula est, Rrg. 6.
eos praeteriri non posse, sed masculos nominatim, femi-
nas inter caeteros (q) adiecto legato exheredari posse,
idque non denum Praetorio, sed ipso Civilii iure. d. S. 1. J.
de exhb. lib. ULPIAN. t. 22. s. 22. 22. Effectus regulae est,
ut si posthumi sui ulterioris gradus, id est nepotes, pro-
nepotes, et sic deinceps per virilem sexum descenden-
tes posthumis praeteriti, uel masculi non nominatim,
feminae ad minimum inter caeteros cum legato, exhe-
redati uel exheredatae fuerint, agnascendo uel quasi
testamentum rumpant, penitusque infirment. d. S. 1. 2.
J. de exhb. lib. De posthumis extraneis regula est, eos Reg. 7.
J. Civilii praeteriri posse, J. Praetorio exheredari masculos
nominatim, feminas inter caeteros adiecto legato, posse,
d. S. 1. 2. J. s. 3. J. de exhb. lib. Effectus regulae est, ut si
posthumi extranei, uel posthumae extraneae praeterit

prae-

consequatur, ut filia nata praeterita, quae est tercia diffe-
rentia inter liberos natos et posthumos. Ratio differentiae
in favore posthumorum sita est, maxime cum idem mereri ex-
hereditationem uel praeteritionem non possint.

(q) Observa differentiam inter nepotes posthumos et nepotes
posthumas, quod illi nominatim exheredari debent, haec in-
ter ceteros exheredari possunt, cum tamen nati nepotes cum
nepitibus natis eodem iure utantur, sic ut indistincte praete-
riti prateritaene J. Ciu. ius accrescendi habeant, J. Praet. B.P.
c.t. consequantur. Ratio differentiae in eo sita esse videtur,
quod sciri non possit, nepos an neptis posthumam nascitura
sit, qui si indistincte inter caeteros, licet cum legato, exhe-
redarentur, incertum foret, annon pater potius de nepte
exheredanda cogitauerit, quam de nepote, familie propa-
gatore. Alii ingenue fatentur, se eius reparationem solidam
ignorare. v. VENN. ad §. 1. J. de exhb. lib. n. q.

praeteritaeue uel non sic uti dictum , exhereditati exheredataeue fuerint, non rumpant testamentum, sed bonorum possessionem c. t. a Praetore consequantur, modo tempore mortis testatoris concepti fuerint, (nec alias proximoris gradus ante se habuerint) u. c. ex filio emancipato praedefuncto, alioqui si post mortem deum testatoris concepti fuerint, (r) nonniſi querelam inofficiosi habeant. l. 3. de bon. poff. l. 6. de inoff. test. Denique distinguuntur inter liberos *naturales* et *adoptinos*, quorum de prioribus haec tenus actum , de posterioribus peculiares regulas tradi necesse non est, cum quamdiu durat adoptio , adoptiui liberi naturalibus aequiparentur, atque adeo secundum regulas de illis traditas exhereditari uel praeteriri possint uel non possint , postquam soluta adoptio, iidem nec Ciuiti, nec Praetorio iure inter liberos connumerentur. §. 4. J. de exher. lib. Sed hacc omnia , quae haec tenus dicta, ad eam exhereditationem liberorum , quae a patre uel ascendentie paterno fit, pertinent. Nam cum mater liberos suos heredes non habeat, non magis , qua liberos habet in potestate, item que adoptare sibi liberos ad eum effectum, ut eos in potestate habeat, non possit, §. 10. J. l. 5. C. de adopt. l. 29. §. 3. D. de inoff. test. non solum illa omnia, quae dicta, ad eam applicari non possunt , sed etiam praeterea obseruandum , matris praeteritionem esse loco exhereditationis, atque adeo illam necesse non habere liberos nominatim

(r) Supponendi sunt termini habiles, puta quod filius uel nepos emancipatus a patre uel auo rite nec iniuste exhereditatus, extraneusque heres institutus, deinde post obitum patris uel avi, deliberante herede scripto, nepos uel pronepos ex filio uel nepote exhereditato conceptus fuit.

DE EO QVOD MVTATVM NOV.CXV.CAP.III.ET IV. 17

natum uel inter caeteros exheredare , sed eos praeterire posse, tam Citiili, quam Praetorio iure. §. f. I. de exher. lib. Idem dicendum de aucto aliisque adscendentibus uel ab ad-
maternis, ut nepotes uel alios descendentes praeterire scendenti-
possint, nisi eos adoptione sibi legitimos quoque liberos bus mater-
efficerint. d. §. f. i. §. 4. I. de exher. lib.

§. XI. Sed haec omnia, quae hactenus de iure ueteri, et effectu regularum, testamentorumque ac exhereditationis uel praeteritionis ualiditate dicta sunt, illam interpretationem ac moderationem patiuntur, ut quamvis testamentum summo strictoque iure subsistat, adeo ut nec etiam rumpatur, nec data à Praetore contra tabulas bonorum possessione enerueretur, illud idem tamen, si non iusta exhereditationis uel praeteritionis causa subit, quæ rela inofficiosi rescindatur, pr. I. de inoff. test. Vnde magna differentia inter *rite* et *iuste* seu *nec inique* factam exhereditationem intercedit, quorum illud ad formam et existentiam exhereditationis, hoc ad subsistentiam eiusdem pertinet. Neque infrequens in iure Ciuii est, ut aliquid ipso iure ualeat, sed ex postfacto officio iudicis euertatur. Cuius rei ab illis casibus, quando aliquid ab initio ipso iure nullum est, uel postea ipso iure euertitur, differentia obscura esse non potest, cum si quid ipso iure nullum est, uel ipso iure euertitur, nullitas uel annotatione non aequa à priuati arbitrio dependeat, (f) ac eo casu, quando quid ipso iure ualeret, sed suppeditato remedio querelæ, uel alio rescinditur, quippe quo casu liberum illi est, cui remedium rescindendi competit,

C

uelit

(1) Haec est una differentia, plures dantur in specie circa quarelam nullitatis uel inofficiosi testam. rat. (1. *praescriptionis*, (2. *contumacie* (3. *legati*, (4. *transitionis hereditariae*. BERGER. Ref. Laut. p. 127.

uelit ut illo remedio uel non, hoc effectu, ut ex illa facultate utendi remedio ius tertio non nascatur. Causae vero exheredationis uel praeteritionis iustae quae essent, I. ueteri adeo certum expeditumque non est, totumque negotium et causae approbatio in primis dependisse ab arbitrio iudicis uidetur, id est à cognitione et decisione centumuirorum, ad quos causae testamentariae et hereditariae, speciatimque lites circa exheredationes uel praeteritiones liberorum uel parentum exortae pertinebant, ut uel ex I. 13. D. de inoff. testam. et I. 4. C. de lib. præt. colligere est. (t) Neque magis certum est de I. ueteri, utrum heres scriptus causam exheredationis uel praeteritionis, seu uno uerbo causam ingratitudinis probatam dare, an uero persona exheredata uel praeterita se non fuisse ingratam probare debeat, cum prius ex I. 22. I. 23. I. 30. pr. C. de inoff. testam. I. 10. C. de secund. nupt. posterius ex I. 28. C. de inoff. test. I. 14. S. 2. de lib. et posth. inferri posse uideatur. Enim uero si quid certi ascendum, unumque ex duobus eligendum, placet sententia CVIACII, quam ad Aboi. 18. proposuit, heredem scriptum causam ingratitudinis probare debere, personam exheredatam uel praeteritam contra probare, se non fuisse ingratam, atque adeo falsitatem uel nullitatem causae ingratitudinis demonstrare posse. Illud interim certum, de I. ueteri necesse non esse, ut causa exheredationis uel praeteritionis specifice exprimatur, sed sufficere, si persona exheredata uel praeterita generaliter in testamento memoretur ingrata fuisse, quod qui-

(t) Idem appetit ex VALER. MAX. I. 7. c. 7. n. 1. 2. ubi conceptis verbis exempla refert testamentorum quod cœnunuiros rescissorum.

quidem fieri tam necessarium est, ut si testator exhereditatum uel praeteritum ingratum non uocauerit, hereditatum uocare ius non sit, licet causas ingratitudinis probatas dare et uelit et possit. d. l. 30. pr. C. de inoff. test. Denique quod dixi, testamentum, in quo praeteritio uel exhereditatio rite sed inique facta, querela inofficiosa rescindendi posse, accipiendum (1. nisi personae exhereditatae uel praeteritae legatum uel fideicommissum relictum, aut aliquid mortis causa uel inter uitios donationum sit, licet id legitimam portionem non expletat, nec fuerit adiectum, ut illa uiri boni arbitratu compleatur. §. 3. et 6. I. de inoff. test. (2. nisi aliud remedium iuris competat, quo ad hereditatem uel eius partem peruerteri possit: unde impubes arrogatus à querela inofficiosa remouetur, licet rite, sed inique exhereditatus sit, quia quartam suam ex constitutione D. Pii habet, hoc est per conditionem ex lege consequi potest. §. 2. I. l. 8. §. 15. D. de inoff. test. Nam qui ne rite quidem exhereditati sunt, illi multo magis à querela inofficiosa excluduntur, quia aut nullitatis querelam habent, aut bonorum possessionem contra tabulas petere possunt, secundum ea, quae S. praeced. fusias dicta sunt. (3. Nisi praescriptione quinquennali sublata fuerit, quae competit, inofficiosa exhereditata uel praeterita ultimani voluntatem testatoris expresse taciteve agnouerit, eoque querelae inofficiosi exercebitur, l. 12. D. l. 35. §. 1. C. cod. (4. Nisi eadem persona exhereditata uel praeterita ante motam uel praeparatam querelam decesserit, l. 6. §. f. l. 7. D. de inoff. test. Vbi tamen sublimitatio atque exceptio obseruanda in nepote, in quem omissa à patre querela inofficiosa

20 DISSERTATIO IVRIS CIVILIS I.

ficiosi transmittitur, siquidem pater deliberante herede defunctus est. l. 34. C. eod. Quotiescumque uero inofficiosi testamenti querela competit, semper hunc effectum habet, ut totum testamentum, tam quod ad institutio-
nem heredis, quam quod ad reliqua capita, infirmet,
resque ad successionem ab intestato redigatur. l. 13. l. 28.
de inoff. test.

Summa iuris
ueteris.

1. §. XII. Summa ergo I. ueteris ad haecce capita
redit: (1. Si exhereditatio rite nec *inique*, id est secun-
dum formam I. uel Ciuiili uel Praetorio praescriptam, et
iusta ex causa facta est, ualeat testamentum tam Ciuiili
quam Praetorio iure, nec querela inofficiosi rescinditur:
2. (2. Si exhereditatio facta rite quidem, seu secundum for-
mam, sed *inique*, seu non iusta ex causa, ualeat quidem
testamentum ab initio, sed ex postfacto querela inoffi-
ciosi rescinditur:
3. (3. Si exhereditatio non rite facta,
sive *inique*, sive *non inique* facta sit, testamentum aut
ipso iure ab initio nullum est, uel certe ex postfacto ipso
iure euertitur, si exhereditatio contra formam I. Ciuiili
praescriptam facta est, aut sublistit de I. Ciuiili, sed a
Praetore data contra tabulas bonorum possessione ener-
uatur, si exhereditatio contra formam I. Praetorio pra-
scriptam facta est: (4. Forma exhereditationis consistit
in eo, quod alii liberi nominatim praecise, alii ad mi-
nimum inter caeteros exheredandi sunt, et hi quidem
uel simpliciter, uel relichto ipsis legato, ne per oblivionem
praeteriti esse uideantur: (5. *Discrimina liberorum de-*
sumta sunt (a. à sexu, quo alii sunt masculi, aliae feminas,
quibus effectu aequipollent masculi, qui à feminis
descendunt: (6. à potestate, qua alii sunt sui heredes,
alii emancipiati: (7. à nativitate, qua alii naturales
liberi,



DE EO QVOD MVTATVM NOV CXV.CAP.III.ET IV. 21

liberi, alii adoptivi, alii nati, alii postbumi sunt : (6. Si praeteritio facta à patre, testamentum est ipso iure nullum, si filius suus heres praeteritus: contra subsistit testamentum, sed ipso iure infirmatur per ruptionem, si postbumus suus praeteritus, uel à Praetore data bonorum Possessione contra tabulas encruatur, si emancipati uel alii extranei, nati uel postbumi, praeteriti. (7. Si praeteritio à matre facta, aequipollent exheredationi, hoc effectu, ut quos liberos praeterierit, eos rite exheredasse intelligatur, consequenterque ipsius testamentum ab initio ualeat, sed ex postfacto querela inofficiosi rescindatur, si praeteritio inique, id est non ex iusta causa exheredationis facta sit : (8. Vti mater liberos, sic etiam descendentes materni praeterire descendentes ad effectum exheredationis possunt, nisi per adoptionem praeter naturales parentes etiam ciuiles effecti sint : (9. Testamentum, in quo exhereditatio uel praeteritio facta, est uel ab initio nullum, quando suus heres primi gradus praeteritus, quitalis tempore facti testamenti iam existebat : uel ex postfacto infirmatur, idque uel ipso iure, eoque Ciusti, quando agnatione uel quasi postbumi sui heredis praeteriti rumpitur; uel officio iudicis, specie timque uel Praetoris, quando ob neglectam formam à praescriptam dat contra tabulas bonorum possessionem, uel alterius iudicis, quando testamentum ob rite exprimi, licet in eo exheredatus uel praeteritus generaliter ingratius vocatus esse debeat. (11. Eadem causae a

C 3

scri-

6.

7.

8.

9.

10.

11.

scriptis heredibus probari debent, sic ut exheredatae uel praeteritae personae reprobare causae nullitatem liceat.

- ¶. Querela inofficiorum testamenti tunc demum competit, quando alio remedio ad hereditatem uel eius partem perueniri non potest, nec exheredatae uel in institutione praeteritae personae legatum uel fideicommissum relictum, aut aliquid mortis causa uel inter uiuos donatum, nec querela praescriptione, uel renunciatione, aut morte personae exheredatae uel praeteritae extincta. (13. Effectus querelae inofficiorum est, ut totum testamentum infirmetur.

Vsus cogniti
I. ueteris.

§. XIII. Neque uelim mireris, quare tantopere in iure ueteri enodando enucleandoque occupati fuerimus, cum tamen ipsi dixerimus, illud ius uetus specialiter dictum esse, quod aliud quoddam intermedium ius exceptit, quod et ipsum respectu nouissimi iuris per Nouellam introducti, uetus sit et dici possit, atq; adeo parum interesse videatur, uetus ius illud cognitum fuerit, an non, cum idem illud per aliud intermedium ius mutatum sit. Nam licet mutatio negari non possit, tamen cum in eo quaestio ueretur, quid quantumque mutatum sit, cum de ueteri iure per intermedium, tum de intermedio per nouissimum, facili negotio intelligitur, sine accurata iuris ueteris consideratione atque cognitione nec quid de ueteri iure per intermedium, nec quid de intermedio per nouissimum mutatum sit, accurate definiri posse. Atque inde omnino esse existimo, quod illud ipsum a tam multis parum accurate definitum fuerit, quod ipsis iuris ueteris tractatio atque cognitio taediosa nec ualde necessaria uideretur.

De iure inter uetus et Nouell. 115.
ius medio,

§. XIV. At enim uero nos uetera cum nouis coniungentes iam operam dabimus, ut cognito iure ueteri, quid de illo per intermedium mutatum sit, penitus intelligamus. Habet

Habet hoc intermedium ius auctorem Iustinianum, qui ^{(a) Circa' na-}
 cum in Cod. l. 4. de lib. praeter. uel exhered. unam uel turales filias,
 alteram inter liberos differentiam J. ueteri introductam
 suffulit, tum suam J. ueteris emendationem in Instit. §.
^{s. de exher. lib. repetit.} Nempe cum J. ueteri inter li-
 beros masculos et feminas, itemque primi uel ^{utriusque se-}
 ris gradus, distingueretur, hoc effectu, ut soli masculi
 primi gradus sive heredes J. Ciuli exheredandi nomi-
 natus essent, reliqui omnes praeteriri possent, J. uero Prae-
 torio exheredandi quidem etiam essent, sed sic, ut suffi-
 ceret, si inter caeteros exheredarentur, et si quidem
 posthuimi uel posthumae essent, legatum acciperent, se-
 cundum ea, quae s. XI. pluribus dicta sunt: contra ea
 Iustinianus constituit, ut masculorum feminarumque, i-
 tem liberorum primi anteriorisque gradus, hoc est filiorum
 filiarumque, et caeterarum per uirilem sexum descenden-
 tium personarum utriusque sexus, una conditio uniuersi-
 tatis ius esset, idque tam in natu, quam in posthumis,
 tamque in suis quam emancipatis obtineret, ut omnes
 nominatim exheredarentur. Quae quidem res non sic
 interpretanda est, quasi differentia omnis inter filios fi-
 liasque, nepotes neptesque, et sic deinceps, uel eti-
 am inter natos et posthumos, itemque inter suos
 et emancipatos sublata sit, sed ut ea tantum differentia
 tedere debeat, qua ob sexum uel gradum aut suitatem
 liberi quidam nominatim exheredari debebant, alii pla-
 ne praeteriri, uel J. Praetorio inter caeteros exheredari
 poterant, et posthumi quidem cum, reliqui sine legato.
 Vnde nec existinandum, quasi testamentum, in quo fi-
 liae nepotesque per uirilem sexum descendentes, qui ut
 dictum, J. Ciuli praeteriri, J. Praetorio inter caeteros ex-
 here-

heredari poterant, praeteriti uel non nominatum exhereditati, indistincte ipso iure nullum effectum sit, sed potius, quod ad effectum non rite factae exhereditationis, ea iuris ueteris differentia permansit, ut alia testamento ab initio ipso iure nulla essent, alia ex post facto rumperentur, aut data bonorum possessione contra tabulas eneruarentur, et tantum filiae caeteraeque per uirilem sexum descendentes personae utriusque sexus, nati uel posthumi, sui uel emancipati, filiis natis uel posthumis, suis uel emancipatis, circa testamenta parentum suorum infirmando, et hereditatem auferendam, ut Imperator in supra alleg. §. 5. J. de exher. lib. loquitur, seu potius adhuc generalius circa effectum nullitatis uel confirmationis testamentorum a parentibus factorum, exaequarentur. Item dicendum, si rite, sed inique testamentum factum, circa modum infirmandi tale testamentum, puta querelam inofficii testamenti, nihil quidquam mutatum esse. Sed nec existandum, desisse praeteritionem matris loco exhereditationis esse, maxime cum in d. §. 5. J. de exhered. lib. pariter ac in l. 4. C. de lib. pract. Imperator de filiabus ne potibusque suis uel emancipatis loquatur, quae locutio non magis in matrem quadrat, quam ea dici potest ius potestatis in liberos per illas Iustiniani leges uel ante acceptisse.

(3) Circa ad-
optiuas fili-
as aliasque
per uirilem
sexum quasi
descenden-
tes personas
utriusque
sexus.

§. XV. Et hactenus quidem de eo iure intermedio, quod circa liberos *in genere*, sed *directo* circa eorum exhereditationem uel praeteritionem, et *hoc effectu* ut liberorum, de quibus agit, conditio melior reddetur, constitutum. Praeter hoc uero aliud quoddam adhuc ius ab Imper. Iustiniano in specie circa liberos ad optimis

optiuos introductum, quo principalis quidem respectus ad exheredationem uel praeteritionem liberorum non habetur, sed quod tamen per consequens ad illam quoque pertinet, unde eius iuris *in s.s. f.d. exher. lib. inf.* mentio remissive facta est. Nempe cum Imperator illa constitutione, quae supra allegata *leg. 4. C. de lib. pract.* continetur, in genere differentiam inter filios filiasque et caeteras utriusque sexus personas per uirilem sexum descendentes, circa exheredationem uel praeteritionem, secundum ea quae dicta, sustulisset, aliud capitulum iuris, quod in specie ad liberos *adoptiuos* pertinebat, emendandum sibi sumisit, constitutione, quae in *t. 10. C. de adopt. continetur*. Nam cum olim liberi adoptiu*m* indistincte in eorum, a quibus adoptabantur, potestatem transirent, patrue naturali, quamdiu constabat adoptio, loco extraneorum haberentur, adeo ut ne quidem a praetore liberorum numero, sed tantum cognatorum censerentur, post solutam uero adoptio*n* ius naturalium quidem liberorum, sed illud, quod a Praetore emancipatis tribuebatur, atque tunc demum recupererent, si uiuo adhuc patre naturali ab adoptiu*m* patre emanciparentur, ea re autem fieri posset, ut liberi in adoptionem dati utriusque patris, naturalis puta et adoptiu*m*, heredita e exciderent, siquidem mortuo patre naturali ab adoptiu*m* emanciparentur: Inde Iustinianus rei indignatione commotus differentiam inter adoptionem ab aliquo adscendente paterno uel materno factam, et eam, quae ab extraneo facta, introduxit, constituitque, ut in prioris generis adoptione tantum ius illud obtineret, in posterioris generis adoptione liberis adoptiu*m* ius successionis et omne aliud, quod in familia patris

patris naturalis habuissent, saluum integrumque maneret. Ex hac uero iuris ueteris immutatione per consequens fuit, ut cum J. ueteri quiuis pater adoptiuus filium adoptiuum aut heredem instituere in testamento, aut nominativi exheredare debuerit, ea necessitas ex noua Justiniani constitutione, p^ras d. l. 10. C. de adopt. comprehensa, tantum auct uel proauo, paternu vel materno, qui nepotem uel pronepotem adoptauit, non autem extra-neo patri adoptiuo incumbat. Quia ex re quamvis spectata tota constitutione et fine eius, liberis ab extraneo adoptatis nihil detrimenti accidat cum celsante necessitate exheredationis in parentibus adoptiis, contra naturalibus parentibus aut scribere eos heredes, aut exheredes facere necesse sit: tamen proxime habite ad parentes adoptiuos respectu, liberorum adoptiuorum conditio circa exheredationem uel praeteritionem eattenuus deterior redditia est, quatenus pater adoptius, si extraneus est, eos expresse aut heredes aut exheredes scribere nullo obligationis vinculo adstringitur. Ceterum quamvis haec de liberis adoptiis constitutio separatum ab illo iure, quod directo circa exheredationem uel praeteritionem liberorum, secundum ea, quae s. pr. art. dicta, locum obtineat, nempe in l. 10. C. de adopt. eadē constitutione, qua illud ius primum introductum, ipsa que illa l. 4. C. de lib. pr. art. quae eam continet, recentior, contra ea §. 5. J. de exh. lib. quo illius iuris repetitio et confirmatione continetur, antiquior sit: tamen uis illius iuris circa exheredationem uel praeteritionem liberorum directo constituti ad hanc de adoptiis liberis constitutionem ac emendationem quoque pertinet, hoc sensu et esse, ut secundam distinctionem subintroductam liberi arrogati uel ab ascendentē aliquo adoptati, quamdiu durat

durat arrogatio uel adoptio, sine distinctione sexus uel gradus nominativi (a parentibus adoptiuis) exheredandi sint, ab extraneo adoptati, itemque tam arrogati quam adoptati post emancipationem, praeteriri tam J. Ciuli quam Praetorio possint.

C. XVI. Sed ut tanto dilucidius constet, quid quan-
tumque de ueteri iure per intermedium mutatum sit, ius inter-
fantoque minus dubii de ea re superisit, cum ad ius nouis
fimur peruererimus: iam adhuc amplius per easdem re-
gulas eundum, quas de J. ueteri §. XI. tradidimus. Iure
ergo intermedio circa liberos suos, eosque masculos et
primi gradus, regula est et manet: eos exheredari a patre
nominativi posse, praeteriri non posse, J. tam Ciuli quam
Praetorio. Effectus regulae idem est, qui J. ueteri, ut si fi-
lius suus heres nominativi exheredatus est, testamentum
ualeat, si uero idem praeteritus, uel inter caete-
ros exheredatus sit, testamentum ab initio sit ipso iure
nullum, J. tam Ciuli, quam Praetorio. De feminis suis
et primi gradus, uel aliis liberis suis ulterioris gradus, cu-
juscunque sexus, regula est: eos acque ac masculos suos pri-
migradus, nominativi exheredandos esse, nec amplius aut
praeteriri, aut inter caeteros exheredari posse. Effectus
regulæ est, ut si filiae suae, uel caeteræ per virilem sexum
descendentæ personæ utriusque sexus, sui heredes, nomi-
nativi exheredatae fuerint, testamentum ualeat, si uero
praeteritæ uel inter caeteros exheredatae fuerint, testa-
mentum ab initio sit ipso iure nullum, nec amplius perso-
nae praeteritæ de J. Ciuli ius accrescendi habeant, de J.
Praetorio bonorum possessionem contra tabulas nanc-
scantur. De emancipatis liberis regula est: eos praeteri-
ri J. Ciuli nouo, uel inter caeteros exheredari non posse, sed
nominativi exheredandos esse, et filios quidem de J. Praeto-

Verumque
ius inter-
medium
declaratur,
(a. per re-
gulas.

Regula 1.

Regula 2.

Regula 3.

rio, filias caeterasque per virilem sexum descendentes personas utriusque sexus, de J. Civili nouo. Effectus regulat est, ut si emancipati liberi praeteriti, uel non nominatim sed inter caeteros exhereditati fuerint, tam filii quam filiae, caeteraeque per virilem sexum descendentes personae utriusque sexus, ad bonorum possessionem contra tabulas a Praetore admittantur, et filii quidem ex edicto Praetoris, filiae et reliquae personae ex lege ciuili noua, speciatimque ex constitutione Principis, ut adeo hoc elegans exemplum sit bonorum possessionis ex lege ciuili tributae, de cuius generis B.P. in T.D. Ut ex legibus senatus sue consultis bonorum poss. detur, agitur. De posthumis iisq; suis primi gradus et masculis, regula est et manet: eos exheredari non nominatim posse, praeteriri uel inter caeteros exheredari non posse, J. tam Ciuii quam Praetorio. Effectus regulae idem est, qui de J. ueteri, ut si posthumus sius heres praeteritus uel inter caeteros exhereditatus fuerit, agnascendo uel quasi rumpat testamentum, totumque infirmet. De posthumis suis primi gradus feminis, hoc est de filiabus posthumis suis heredibus regula est: eas praeteriri non posse, nec inter caeteros exheredari posse, licet legata acceperint, sed pariter ac masculos seu filios, nominatim exheredandas esse. Effectus regulae est, ut si filia post humera sua heres praeterita, uel inter caeteros, licet cum legato, exhereditata fuerit, ea agnascendo uel quasi, aequa ac filius posthumus sius heres praeteritus uel inter caeteros exhereditatus, rumpat testamentum, totumque infirmet. De posthumis suis ulterioris gradus regula est: eos praeteriri non posse, nec inter caeteros, siue masculi sint, siue feminae, licet hae legata acceperint, exheredari posse, sed tamen masculos, quam feminas nominatim exheredandos esse. Effectus regulae est, ut si posthumus

Reg. 4.

Reg. 5.

Reg. 6.

DE EO QVOD MVTATVM NOV.CXV.CAP.III ET IV. 29

mi nepotes, uel posthumae neptes, et sic deinceps per uirilem sexum descendentes, sui suaeuac heredes praeteriti praeteritaeue, uel non nominatim, sed inter caeteros exhereditati exheredatae fuerint, agnascendo uel quasi rumpant testamentum, licet nepotes uel proneptes, et sic deinceps, legata acceperint. De posthumis extraneis Regula 7.
regula est: eos I. Ciuali nouo praeteriri non posse, nec post-bumos feminei sexus inter caeteros exheredari, nequidem cum legato, posse, sed omnes, tam masculini, quam femini sexus, nominatim exheredandos esse. Effectus regulae est, ut si posthumu uel posthumae extraneae, u. c. nepos uel nepitis ex filio emancipato conceptus uel concepta, praeteriti uel non nominatim exhereditati fuerint, iis sine discrimine sexus bonorum possessio contra tabulas à Praetore concedatur, et masculis quidem de I. Praetorio, feminis de I. Ciiali nouo, eadem ratione, qua filiabus nepitibus emancipatis, de quibus Reg. 8. actum. Hisce regula Regula 8.
lis accedit alia peculiaris de liberis adoptiniis: eos, si arrogati, uel adoptati ab aliquo ex adscendentibus paternis uel maternis furent, à parentibus adoptiniis, quamdiu durat arrogatio uel adoptio, praeteriri non posse, exheredari posse ut liberos naturales, secundum regulas de illis traditas: sin ab extraneo adoptati sint, à parentibus adoptiniis praeteriri posse, à naturalibus parentibus non posse, sed exheredandos, et quidem nominatim, esse, siue duret adoptio, siue soluta sit. Effectus regulae est, ut si liberi arrogati, uel ab aliquo ex adscendentibus adoptati, praeteriti, uel non nominatim exhereditati ab adoptiis parentibus fuerint, testamentum sit ab initio ipso iure nullum: sin iidem ab extra-neo adoptati, et à naturalibus parentibus praeteriti uel non nominatim exhereditati furent, testamentum uel ipso

D 3

iure



iure nullum sit, si liberi in potestate parentum naturalium post adoptionem permanferint, uel data a praetore bonorum possessione contra tabulas infirmetur, si post adoptionem a parentibus naturalibus emancipati fuerint. a. §. 5. et 3. I. de exher. lib. pr. et §. 2. I. de adopt. l. 10. C. de adopt.

(3. Per tem-
peramen-
tum de in-
firmatione
testamenti
per quere-
lam inoffi-
cioſi.

§. XVII. Sed et hoc amplius specialiter uidendum, quomo-
do temperamentum supra §. XII. de I. ueteri traditum;
se post nouum ius, quod hactenus intermedium diximus, e-
Iustiniano introductum, habeat, et quae inde summa cap-
ita ex tota doctrina iuris istius intermedii hactenus inue-
stigati resulant. Et cum iam ex iis, quae dicta, intellexer-
imus, non omne testamentum, in quo praeteritio uel exhe-
redatio contra formam I. intermedio introductam facta,
ipso iure esse nullum, sed aliquod perinde ac I. ueteri rum-
pi, aliquod data contra tabulas bonorum possessione infir-
mari, facili negotio id inde amplius colligitur, si I. interme-
dio testamentum, in quo praeteritio uel exheredatio rite
seu secundum formam facta, ualere, exheredatioque recte
facta dicatur, idem illud testamentum, si exheredatio iniqua-
que, seu ex causa non iusta, facta sit, querela inofficioli
posse infirmari. Quod tanto magis uerum est, quanto mi-
nus dici potest, Iustinianum quidquam circa rō inique, seu
circa causas, ex quibus iusta et in perpetuum ualitura ex-
heredatio procedit, cum in allegata supra l. 4. C. de lib.
pract. tum in §. 5. I. de exb. lib. quidquam mutasse, uel mu-
tarē propositum habuisse.

§. XVIII. Ex quibus omnibus haec in uniuersum sum-
ma capita iuris intermedii propeniunt: (1. Si exheredatio
rite, id est secundum formam emendatam, id est partim
auctam, partim confirmatam, nec inique, id est ex iusta
causa facta, ualeat testamentum, nec querela inofficioli
rescin-

Summa iuri-
intermedii.
Cap. I.

DE EO QVOD MVTATVM NOV.CXV CAP. III ET IV. 31

rescinditur : (2. Si exheredatio facta *rite* quidem, id est secundum formam emendatam, sed *inique*, seu non iusta ex causa, ualeat quidem testamentum ab initio, sed ex post facto querela inofficiosi rescinditur : (3. Si exheredatio facta non *rite*, seu contra formam emendatam, siue qua aucta ea est, siue qua confirmata, facta, siue *inique* facta sit, siue non *inique*, testamentum aut *ab initio ipso iure nullum est*, uel certe ex postfacto ipso iure euertitur, si exheredatio contra formam I. Ciuiili ueteri praescriptam, nouoque I. Ciuiili uel auctam uel confirmatam, facta est : aut *subfijcit* Praetorio praescriptam, et I. Ciuiili nouo auctam uel confirmatam, facta : (4. Forma exheredationis consistit in eo, quod omnes liberi, ctiiuscumque sexus uel gradus sint, nominatis sint, exheredandi, quod quatenus I. ueteri Ciuiili uel Praetorio fieri non debebat, eateius forma uetus aucta, quatenus fieri debebat, eateius forma uetus confirmata est : (5. Differentia inter liberos intercedit (a. r. *potes* tia, qua alii sunt *sui heredes*, alii *emancipati*: (b. r. *natiuitatis*, qua alii sunt *naturales*, alii *adoptini*, et hi uel arrogati, uel *adoptati* in specie; et hi *rursum uel ab adscendentia aliquo, uel ab extraneo adoptati*: alii *nati uel liberi simpliciter, alii posthumus*: non *r. sexus uel gradus*: (6. Si praeterito facta *a patre*, uel *adscendente paterno*, testamentum est *ipso iure nullum*, si filius uel filia, aut nepos neptisue, et sic deinceps, si uerius *heres praeteritus fuit*: Contraria *subfijcit* testamentum, sed *ipso iure per ruptionem informatum*, si posthumus uel post humana filius filiae, uel ne pos neptisue, et sic deinceps, *praeteritus*: uel *a Praetore data ab honorum possessione contratabulas emittuntur*, si liberi eman-

A. 232.

32 DISSERTATIO IURIS CIVILIS I. DE EO QVOD &c.

- emancipati uel alii extranei , nati uel posthumi , praeteriti : uel nec
7. *ipso iure*, nec officio iudicis confirmatur, si liberi ab extraneo adoptati
a patre adoptiuo praeteriti sunt : (7. *Praeteritio facta a matre*
aequipollit exheredationi, hoc effectu, ut si praeterierit liberos cu-
iuscunque sexus uel gradus, eos rite exhereditasse intelligatur, testa-
mentumque ualeat, nec infirmetur , nisi querela inofficiosa, si ini-
8. que, seu non ex iusta causa exheredationis facta sit : (8. Ulti matus
liberos, sic etiam adscendentes materni nepotes uel alios deces-
9. dentes praeterire ad effectum exheredationis possunt , nisi per
adoptionem ciuiles quoque parentes effecti sunt : (9. *Testamen-*
tum, in quo exhereditatio uel praeteritio facta, est uel *ab initio nullum*,
quando sius uel sua heres, seu primi , seu posterioris gradus,
praeteritus , qui talis iam tempore facti testamenta existebat : uel
ex *postfacto confirmatur*, idque uel *ipso iure Civili*, quando agna-
tione uel quasi posthumu uel posthumae , sui suae heredis, cu-
iuscunque gradus , praeteriti praeteritae, rumpitur ; uel *officio*
iudicis, speciatimque uel *Practoris*, quando ob neglectam formam
exheredationis a se praescriptam dat contra tabulas bonorum po-
fessionem ; uel *alterius iudicis*, quando testamentum ob rite qui-
dem, sed inique factam exheredationem querela inofficiosa refini-
ditur : (10. Causae iustae exheredationis uel praeteritionis in ne-
certo sunt, ut I. ueteri fuerint, nec etiam illud mutatum, ut exhe-
redatum uel praeteritum generaliter integratum vocasse sufficiat,
sine certae ingratitudinis specie expreſſione: (11. Eadem causae
eadem ratione, qua I. ueteri , a scriptis hereditibus probari debent,
sic ut exheredata uel praeterita persona contra probare causae fal-
sitatem possit : (12. Querela inofficiosa testamenti non aliter quam
uti I. ueteri , competit, quando sc. alio remedio ad hereditatem
uel eius partem ueniri non potest , nec exheredata uel in institu-
tione praeteritae personae legatum uel fideicommissum relictum,
aut aliquid mortis causa uel inter viuos donatum , nec querela
praeſcriptione, uel renunciatione, aut morte personae exheredatae
uel praeteritae exticta : (13. Effectus querelae inofficiosa idem est,
qui I. ueteri fuit , ut totum testamentum, tam quod ad hereditis
inſtitutionem, quam quod ad legata , fideicommissa
uel alia capita, infirmetur.


Wittenberg, Diss., 1717

ULB Halle
005 841 755

3



618





Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIS CIVILIS
DE
EO, QVOD MUTATVM NOVELLA CXV. c. III. ET IV.
CIRCA
EXHEREDATIONEM
PARENTVM PARITER
AC LIBRORVM
P. 266.
Wie Eltern ihre Kinder einander entzonen können, und wie weit es gültig sey/ oder nicht?
QVAM
PRAESES
IOANNESGODOFREDVS
HARTVNGI VS
PHIL. ET J. V. D. ET PROF. PVBL.
EXTRAORD.
PVBLICAË DISCEPTATIONI
SUBMITTIT
IN AVDITORIO JCTORVM
AD D. SEPTEMBR.
M DCC XVII.
VITEMBERGAE
EX OFFICINA CHRIST. SCHROEDERI
ACAD. TYPOGR.

